

† Ego JOANNES, *Episc. Richmondensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES, *Vic. Apost. Novi Mexici, Episc. Agathoniensis, definiens subscripsi.*

† Ego JOSEPHUS, *Episc. Sancti-Pauli, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES BAPTISTA, *Episc. Messeniensis, Vicarius Apostol. ad orientem Montium Saxosorum, definiens subscripsi.*

† Ego JOANNES NEPOMUCENUS, *Episc. Philadelphiensis, definiens subscripsi.*

PATRITIUS N. LYNCH, S. T. D.

Vic. Gen. Caropol., Secretarius.

Ego EDUARDUS L. DAMPHOUX, S. T. D. hujus Plenarii Concilii Notarius, testor hæc Decreta Actaque lecta fuisse, et probata in Sessionibus solemnibus, in ecclesia Metropolitana S. Mariæ Baltimorensi, diebus 16, et 20 quæ fuit festum Ascensionis D. N. J. C. Anno Dñi 1852.

E. L. DAMPHOUX, S. T. D. *Notarius.*



EPISTOLA

PATRUM CONCILII UNA CUM DECRETIS AD SUMMUM
PONTIFICEM MISSA.

BEATISSIME PATER,

EX vastæ hujus regionis disjunctis plagis, ad Concilium Plenarium habendum convenientes, ab ipso primo momento ad te, Beatissime Pater, mentis oculos convertimus. Si enim Christum Dominum deliberationibus nostris præesse velimus, quem alium ducem habere possemus, quam illum cui Salvator ipse, ovium simul et agnorum curam commisit, et quem ad fratres confirmandos præ omnibus elegit?

Gratum procul dubio paterno cordi tuo erit, audire quanta in hac parte vineæ, ad nominis sui gloriam promovendam agat Deus. Veram fidem undique annuntiari; oblationem mundam ubique offerri; ubi ante aliquot annos Dei nomen penitus ignotum, ibi nunc illum in spiritu et veritate adorari lætamur. In hac ipsa Metropolitana urbe, in qua, infra memoriam adhuc luce fruentium, sacerdos de longe veniens pusillum gregem raro per annum solabatur, ecclesias nunc plures ac frequentissimas, instituta pia non pauca florescere cernimus. Nec in ista civitate tantummodo, sed ubique laboribus nostris uberrimos fructus concedere dignatus est Deus. Infantula Ecclesia intra unius vitæ spatium tale incrementum accepit, ut ex ea nedum in dioceses, sed et in provincias divisa, sex Archiepiscopi ac viginti sex Episcopi ad Concilium celebrandum convenerimus.

Antequam vero ad ecclesias nostras revertamur, vehementer desideramus animorum nostrorum sensus tibi, Beatissime Pater, aperire. Cupimus etenim amorem et reverentiam et obedientiam erga te et Sedem tuam Apostolicam, qua repleti sumus, tanquam hæreditatem pretiosissimam, quam præ omnibus aliis maximi habemus, ultimis posteris peculiari affectu commendare. Nil enim ad fidem firmandam, et ad pietatem quæ ex fide exurgit urgendam, magis conducere novimus, quam amorem et obedientiam filialem erga Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram, fovere.

Sive antiquorum temporum monumenta, sive ætatis nostræ historiam evolvimus, ubique per Petrum fidei lumen servatum videbimus, et hæreses et schismata tunc tantum orta, cum imminuta erga Sedem Apostolicam reverentia, erroribus et vitiis via patebat. Frustra virtutes et præclara gesta majorum, frustra terram martyrum sanguine madidam, frustra antiquæ pietatis monumenta appellabant illi, apud quos reverentia ista amorque frigescebat. Elanguescere primo fides visa est, serius omnino emori: *humanæ* factæ sunt ecclesiæ illæ, et divina amissa virtute, non tam ad viam salutis ostendendam ecclesiæ, quam larvæ ad illudendum esse videbantur.

Factum quidem est quandoque, misericordia divina, ut felicior esset rerum exitus. Hoc autem ea tantum de causa evenit, quod tandem aliquando restituto avito Sedis Apostolicæ amore, salus inde petebatur, unde Ecclesiarum vitam fluere Deus decreverat.

Etiam tum, quum tu, Beatissime Pater, a sepulchris Apostolorum exulares, et prudentes hujus sæculi nil nisi pericula viderent, omnes admirati

sumus fortitudinem, sapientiamque qua Ecclesiam tibi commissam moderabaris, clareque in actis tuis perspeximus lucem a Domino promissam, non modo non imminui, sed pro temporum difficultate magis magisque splendescere. Quamvis enim plurimis et immensis esses calamitatibus pressus, verbum Domini non fuit alligatum, sed a Petri cathedra procedens, lumen veritatis, pietatisque fervorem ubique diffudit, simile solis radio, ut ait S. Chrysostomus, cui vincula conjici nequeunt.

Inter plurima autem tunc a te præclare gesta peculiari affectu in mentem revocamus, te periculis quibus ipse premebaris non fuisse impeditum quin ad illustrem Hiberniæ Ecclesiam a scopulis in quos impelli videbatur eripiendam, animum intenderes. Et, si laqueus, quem Ecclesiæ hostes extendebant contritus est, et fideles liberati, id tibi, beatissime Pater, et venerationi erga Sedem tuam, quam a majoribus didicerunt, omnino tribuendum novimus.

Non leve autem, tot inter ploranda ætatis nostræ mala, exinde solamen derivatur, quod, quo magis pericula imminere videntur, eo arctius contrahuntur vincula quæ fideles ubique diffusos cum Sede Apostolica conjungunt, eoque ferventius Ecclesiæ filii ad Sedem Apostolicam conveniunt, et veluti infantes sese in gremium matris conjiciunt, a qua cibum et tutamen expectant.

Qui cum animorum nostrorum sensus sint, ex corde cupimus eam Ecclesiarum nostrarum præcipuam laudem fore, ut Sedem Apostolicam summa semper et peculiari reverentia colant, diligentque. Ad pedes tuos interea provoluti, ut nobis, et clero populoque curæ nostræ commisso benedicas enixe precamur.

Baltimore, die 19 Maii 1852.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, PRO DECRETORUM SYNODI PLENARIÆ APPROBATIONE.

IN generali S. Congregationis conventu, die 30 Augusti 1852, referente Eñno ac Revmo D. RAPHAELE Cardinali FORNARI, proposita fuerunt Decreta Synodi Plenariæ Baltimorensis, habitæ mense Maio hujus item anni, præsidente Sedis Apostolicæ Delegato R. P. D. FRANCISCO PATRITIO KENRICK, Archiepiscopo Baltimorensi. Omnibus vero mature perpensis, Eñni Patres, præscriptis emendationibus nonnullis juxta peculiarem instructionem eidem Delegato Apostolico traditam, prædictæ Synodi Decreta probanda censuerunt.*

* Supervacaneum est monere decreta, priusquam evulgarentur, ad tramitem præfatæ instructionis emendata fuisse. Ceterum inter ea quæ S. Congregatio notanda censuit, hæc quæ sequuntur hic exscribere operæ sane pretium est.

Censuit igitur S. Congregatio hortandos esse Episcopos ut festis in usu adjungenda curent festum Circumcisionis D. N. J. C., quum constet eo dei omnes ferme acatholicos etiam ob ineuntis anni lætitiâ ab operibus servilibus abstinere; necnon Conceptionis Immaculatæ B. M. V. festum: eo enim titulo juxta vota veluti Patrona Principalis tradita est. Ceterum, deprehendatur licet quoad festa et jejunia discrimen aliquod inter nonnullas provincias ac dioceses, æquum tamen haud videtur ut ex eo quod in nonnullis locis minori numero festa vel jejunia vigeant, idcirco minui etiam debeant, ubi juxta universalis Ecclesiæ disciplinam alia adhuc servantur. Studium porro Episcoporum non eo est dirigendum ut dioceses istæ omnes uniformes evadant in iis quæ difformia sunt ab universalis Ecclesiæ disciplina, id siquidem incongruum esset, et *Nationalis* Ecclesiæ speciem facilius ingereret. Ob difficilia rerum adjuncta, gravibusque de causis, annuit Apostolica Sedes, ut in nonnullis disciplina, seu commune jus Ecclesiasticum relaxaretur: at id fit per modum tolerantia, ac provisoria ratione, neque derogationes hujusmodi sunt magis firmandæ, atque extendendæ; sed potius adnitendum omni ope ut universalis disciplinæ observantia paulatim restitui valeat.

Hanc vero S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro Pio PP. IX ab infrascripto Secretario relata in Audientia diei 5 Septembris ejusdem anni, Sanctitas Sua ratam habuit, ac decretum ea de re expediri permisit.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. C. de Propag. Fide, die 26 Septembris 1852.

J. PH. CARD. FRANSONI, *Præf.*

AL. BARNABO, *a Secretis.*

DECRETUM

QUO PROROGATUR FACULTAS ADULTOS EADEM AC PARVULOS FORMA BAPTIZANDI.

ARCHIEPISCOPI et Episcopi Plenarii Concilii Baltimorensis SSmum Dñum Nostrum PIUM PP. IX obsecrandum censuerunt ut, permanentibus adhuc causis ob quas sa. me. decessor ejus PIUS PP. VIII, decretum S. Congregationis de Propag. Fide approbans die 26 Septembris anni 1830, annuit ut in baptisate aduitorum is brevior cæremoniarum ordo adhiberi ad viginti annos posset, qui in Rituali Romano ad baptizandos pueros præscribitur, indultum hujusmodi rursus prorogare dignaretur. Precibus istis relatis ab Eñno ac Revmo D. RAPHAELE Cardinali FORNARI in generali S. Congregationis conventu habito die 30 Augusti 1852, Eñni Patres censuerunt supplicandum SSmo pro indulti prorogatione ad quinquennium, atque ita ut interim Episcopi paulatim ad observantiam ritus

descripti pro adultorum baptisate in Rituali Romano accedere satagant.

Hanc vero S. Congregationis sententiam SS^mo Dño Nostro Pio PP. IX ab infrascripto Secretario relatam in Audientia diei 5 Septembris, Sanctitas Sua benigne in omnibus probavit, ratamque habuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. C. de Propag. Fide, die 26 Septembris 1852.

J. PH. CARD. FRANSONI, *Præf.*

AL. BARNABO, *a Secretis.*

INDULTUM

DE SACRIS ORDINIBUS TITULO MISSIONIS CONFERENDIS.

EX AUDIENTIA SS^mI HABITA DIE 3 OCTOBRI 1852.

SS^mUS Dñus Noster Pius divina Providentia PP. IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, singulis Archiepiscopis et Episcopis Fœderatorum Statuum Americæ Septentrionalis facultatem benigne concessit, a die prima Januarii 1853 ad quinquennium duraturam, promovendi titulo Missionis ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive clericos, servatis servandis circa doctrinam et pietatem, super quo Episcoporum conscientia oneratur.

Datum Romæ, ex Ædibus dictæ S. Congregationis, die et anno quibus supra.

AL. BARNABO, *a Secretis.*

INDULTUM

DE INSTITUENDA SODALITATE PRECUM PRO CONVERSIONE ACATHOLICORUM.

BEATISSIME PATER,

EPISCOPI Concilii Plenarii Baltimorensis misericordia moti erga tot animas diabolica fraude deceptas, et a via veritatis errantes, censuerunt instituendam esse Sodalitatem precum pro conversione acatholicorum in Fœderatis Provinciis Americæ Septentrionalis, sperantes fore ut ex hujusmodi institutione non levia in fratres nostros errantes bona sint redundatura, maxime si Sanctitas Vestra illam approbatione sua decorare, ac infra memoratis Indulgentiis ditare dignetur.

1. Ut singulis confratribus et consorioribus prædictæ Sodalitatis concedatur plenaria Indulgentia, quum rite confessi paschalem communionem receperint, qui quotidie sequentem orationem quocumque idiomate pie recitaverint: *Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omnibus erroribus rejectis, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

2. Item plenariam Indulgentiam in mortis articulo lucentur, cum verè pœnitentes et confessi, SS. Eucharistiæ sacramentum susceperint; vel quatenus id facere nequiverint, SS. JESU nomen ore vel saltem corde invocaverint.

3. Ut unusquisque confratrum et consororum Indulgentiam centum dierum lucretur, quotiescumque præfatam orationem recitaverint.

4. Ut iis Christifidelibus prædictam orationem recitare nescientibus, supra enuntiatae Indulgentiæ concedantur, dummodo tres *Pater, Ave et Gloria*, singulis diebus devote recitent.

EX AUDIENTIA SSMI, DIE 5 SEPTEMBRIS 1852.

SSMUS Dñus Noster PIUS divina Providentia PP. IX, referente infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario supra descriptas preces Episcoporum Concilii Plenarii Baltimorensis, necnon votum Eñorum Patrum S. Congregationis, benigne in omnibus annuit juxta petita, atque Indulgentias juxta propositum tenorem in perpetuum concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

AL. BARNABO, a Secretis.



EPISTOLA

EMI PRÆFECTI S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM, DE EPISCOPIS
PER SUBSIDIA EX PROPRIIS DIÆCESIBUS JUVANDIS, ET
DE PRESBYTERIS ORDINES REGULARES INGREDIEN-
TIBUS.

ILLM̃E ET REṼME DOMINE,

RELATUM est in Plenaria Synodo pertractatum quoque fuisse de ratione aliqua ineunda ut, ad onera sui muneris sustinenda Episcopi juvari possint subsidiis ex propriis diæcesibus. Æquum profecto id videtur. Quum tamen multiplex proponi methodus valeat, Antistitum sententia erit exquirenda: per Metropolitanos vero facile Amplitudo tua præstare id poterit. Supervacaneum tamen haud erit innuere Præsules Canadenses superiore anno ea de re pertractasse, cum proposuerint ut vel liceret accipere tertiam partem proventuum unius parœciæ, aut duarum parœciarum in diœcesi; vel quartam aut quintam partem, si inter tres aut quatuor parœcias divideretur onus; vel decimam partem reddituum, si inter plures, aut fere omnes parœcias supradictum onus divideretur, habita ratione circumstantiarum. S. Congregatio propositionem ultimo loco exhibitam censuit potius esse amplectendam, atque ad eum scopum, SSmo Dño Nostro probante, in favorem Canadensium Antistitum fuit latum decretum.

Innotuit pariter aliquando evenire ut, absque licentia Episcopi, Presbyteri Missionibus addicti Ordines Regulares ingrediantur, unde gravissimum isthic oriri solet detrimentum ob sacerdotum penu-